



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt VIII. S. Martini Treuerense monasterium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT VIII.

S. Martini Treuerense monasterium.

406.

S Martini Treuerense cœnobium, extra & intra, hoc est, ad ipsos muros vrbis infra saxeam pontem vetustissimum in dextra Mosellæ fluminis situm, ex Tetradij Consularis viri priuata domo in scholasticæ congregationis habitationem, inque domum Dei & oratorium commutatum est, anno Christi circiter 406. imperantibus Arcadio & Honorio, ab ipso *S. Martino* Turonensi Episcopo. Cùm enim Treuerim is venisset, & Tetradij Consul is feruum ibi malo spiritu correptum à dæmonio liberaffet, Consul vt esset pro præstito sibi beneficio gratus, *S. Martino* domum suam dono dedit, hac lege, vt vir Dei ex ea oratorium & domum precatationum *S. Crucis* dedicatam faceret

526.

Postea verò hanc ipsam precatationum & disciplinæ domum, Barbarorum crebris in Galliam, Belgicam & Germaniam irruptionibus desolatam & planè collapsam instaurauit circa annum Christi 526. & monachis Benedictinæ professionis attribuit quinquagesimus Treuerorum Episcopus *Magnericus* qui abolito *S. Crucis* prisco nomine *S. Martini* cœnobium nouo titulo appellari iussit. Eius Antistitis in hoc ipso cœnobio ostenditur tumulus, in subterranea videlicet templi crypta post *D. Virginis* aram. Tandem post

mul-

multorum annorum curriculum, cum à Normannis vastaretur tota ferè Gallia, & in Treuerim quoque miserè sæuitum esset; iterum perijt istud S. Martini cœnobium; sed mox ab Episcopo Treuerorum sexagesimo octauo *Rathbodone* vel *Rachabodo*, circa annum Domini 880. præclare est reedificatum. Tertio verò ab Hungaris incensum, rursus à Theoderico septuagesimo secundo Treuirorum Antistite instauratū est circa annum Christi 960. Ita fere Gaspar Bruschius, in Chronologia monasteriorum Germaniæ.

880.

960.

CAPVT IX.

Benchorense monasterium, in Hibernia.

FVndatum est hoc monasterium à S. *Lomogello* Abbate circa annū Christi 570. multorum postea monasteriorum mater ac caput futurum: vtpote à quo Congregatio Benchorensis, per Angliam, Scotiam, & Hiberniam olim diffusa nomen sumpsit. Ex huius congregationis monachis fuit S. *Columbanus*, qui Luxouiese in Burgundia monasterium circa annum Christi 600. construxit, itemque Bobiense in Italia.

570.

